



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 27. De reflexione Dei in opera sex dierum, qua omnia vt valdè bona
approbavit: ac de sanctificatione diei septima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXVII.

DE REFLECTIONE QUAM
Deus fecit super opera horum sex
dierum, qua declarauit ea esse
valde bona: ac de sancti-
ficatione diei sep-
timæ.

PUNCTVM I.



a Gen. 1. 31.

I.

CONSIDERANDVM primo,
quòd Deus Dominus noster
in fine diei sextæ, postquam
res omnes creasset, a vidit
*cuncta quæ fecerat, & erat
valde bona.*

CIRCA quòd perpendam,
quòd tribus temporibus legamus Deum Do-
minum nostrum fecisse reflexionem super sua
opera, & vidisse quòd essent bona; ipso vide-
licet die, quo illas creauit; deinde si in eodem
die plura creauit, post creationem cuiusque;
denique in fine sextæ diei, postquam omnia
creasset, faciens reflexionem super omnia
simul: & tunc non solum dixit, quòd essent
bona, sed *valde bona*, valdeque perfecta: quia
vnaquæque res habebat bonitatem sibi conue-
nientem, tam quoad se ipsam, quam in ordine
ad commune bonum Vniuersi, quòd erat per-

fectum

fectum in omnibus suis rebus, quoad numerum, durationem, pulchritudinē, & proportionem omnium suarum partium; in quibus nihil erat malum, aut noxium, sicut in præcedentibus Meditationibus perpēdimus. Simul tamen perpendam, quod solius Dei, ratione infinitæ suæ bonitatis, sit, ut aspiciens omnia sua *opera*, dicere possit, ea esse valde bona & perfecta, ita ut nulla in illis sit mala aut imperfecta. idem verò etiam conuenit Christo Domino nostro, propterea quod sit Deus & homo; de quo fuit dictū, *c bene omnia fecit*. Et idem speciali priuilegio fuit concessum Sacratissimæ Virgini eius Matri. ceteri omnes homines, etiā si fuerint sanctissimi, facientes reflexionem suprā sua opera, inuenient ex lege ordinaria culpam aliquā aut imperfectiōnem in aliquo illorum; siquidem, teste S. Iacob: *id in multis offendimus omnes*. incumbit tamen nobis, diligenter contendere, ut quantum poterimus, ad Dei perfectionem accedamus, procurantes pro viribus nostris, ut talia sint opera nostra, quæ respiciens Deus, dicere aliquo modo possit, ea esse *valde bona*. Ad hanc operum nostrorū perfectionem obtinendam, conducet multum triplex instituere examen operum nostrorū, facta super illa reflexione.

PRIMUM examen, est faciendum vesperi, reflectendo super omnes actiones nostras illius diei, & obseruando, num ita sint Diuinæ honorati cōformes, ut Deus illas bonas iudicet, approbetq; ; delendo interim contritione

b Deut. 32. 4

c Marc. 7. 37

d Iacob. 3. 2.

Triples examen actionum nostrarum.

I.

Part. 1. Meditat. 28.



eas, quæ tales non fuerint. sicut suo loco est dictum.

II.

SECUNDVM examen, quod iuvat magis ad cõparandam perfectionem, fit absoluto quocunque opere alicuius momenti, faciendo reflexionẽ super illud, sicut fecit Deus sexto & tertio die: nec ad hoc examen expectandus est finis diei; sed opere illo absoluto statim atque licebit, est instituendũ. quod si deprehendero totã illam actionẽ fuisse bonã, nulla ad id circumstantia deficiente, gratias Deo propterea agam; sin actionem quidem bonã fuisse, admixtas tamen habuisse imperfectiones aliquas, aut incuriam; separabo pretiosum a vili, & aurum ab eius scoria, consumendo igne amoris & doloris quidquid malum est & imperfectũ; & statuendo, eandem actionem aliã ita facere, vt videns eam Deus, dicere possit, quod fit bona. Quod si totam actionem malam fuisse deprehendam, erubescam quod expenderim male diem, quem Deus mihi ad benefaciendũ concessit. Hoc examen propterea instituendum esse diximus, absoluto aliquo opere, aut negotio alicuius momenti, quia vt ait S. Doctrotheus. *peccamus multũ & obliuiscimur cito; quare necesse, inquit, est, frequentissimi ac singulis horis, nos ipsos exquirere, rimari, ac perscrutari diligentissime, imo & per qualibet temporum momenta; aspicientes quomodo singula expenderimus, siquidem e iustus (vt ait Sapiens) septies in die cadet, hoc est sapius, & resurget, non expectans finem diei, vt simul*

Serm. 21.

Serm. 10.

c. PRON. 24.
16.

ab omnibus resurgat. Et sicut homines mundiciei valde studiosi, si sæpè maculantur, aut inficiuntur, sæpè etiam se purgant, contritamque maculam eluunt; ita viri puritatis animæ suæ amantissimi, statim atq; culpa aut imperfectione aliqua se maculatos aduertūt, ita se purgāt ac purificant; vt aspiciēs Deus illorū animas, pro eorū tēpore dicere possit: *¶ To* *¶ Cant. 4.7.*
¶ pulchra es amica mea, & macula nō est in te.

III.

TERTIVM examen, est ad finem hebdomadæ faciendum, sicut Deus reflexionem fecit super opera sua horum sex dierū, conferendo in die sexta diem vnum cum altero; & obseruando, num studuerim, quotidie animam meā nouis virtutum splendoribus exornare? num creuerim & profecerim quotidie in earum perfectione? num integrè satis fecerim obligationibus proprijs & communis boni; & ex omnibus bonis, quæ inuenero, vnū quasi corpus efficiens, Deo illud offerā; gratias ei pro omnib⁹ agens, explens illud Dauidis: *g per singulos dies g Psal. 144.*
¶ benedicam tibi; Ex malis verò, quæ deprehēdero, *z.* faciam etiā aliud corpus, vt cum dolore cordis confitear, & hac puritate me præparem ad festum septimo die celebrandum: siquidem quicumque crescere cupit in perfectione, singulis hebdomadis confiteri deberet, & communicare, vt eam posset obtinere.
 Hoc ipsum examen & reflexio fieri deberet in fine cuiusq; anni, faciēdo generalē confessionē omnium peccatorū toto illo admissorum; & cōferendo annū vnū cū altero, vt erubescā,

si tardiori & remissiori passu hucusque perrexerim: vrgeboq; me ipsum ad celeriore progressum. Ac denique in fine totius vitæ, quæ hisce sex diebus significatur, (modo per morbum liceat, & speciale aliquod impedimentum non adsit) bonum est aliud examen instituire & confessionem, vt omne malum, quod fecerimus, aboleatur; ita vt Princeps huius mundi tunc veniens nihil quod suum sit, in nobis inueniat; Princeps vero cœlestis, quidquid habuerimus approbet, & iudicans esse bonum, deducat nos secum ad æternam requiem, per diem septimum significatam. O summum bonum, & omnis boni principium, cuius opera semper fuerunt bona, & vt talia approbasti, quæ his sex diebus fecisti; concede mihi per tuam gratiam, partem aliquam huius bonitatis, quæ propria est tuæ Diuinæ naturæ, vt in ultimo totius vitæ meæ examine, quod institues, nihil inuenias mali quod ego fecerim, sed bonum tantum, quod gratia tua mecum effecit, propter quod me in sanctum tuum regnum admittas, Amen.

PUNCTVM II.

a Gen. 2. 2.

DEINDE considerandum, quod Deus Dominus noster, a die septimo, perfectio opere, requieuerit ab vniuerso opere quod parauerat, & benedixit diei septimo.

I.

VBI est perpendendum primum, quod Deus Dominus noster, die septimo cessauerit res nouas facere, non quod ei deesset ad nouas faciendas omnipotentia, si ita voluisset, aut finis suo, nostroq; comodo expediuisset; sed quæ

quæ

quæ factæ erant, sufficerent ad perfectionem
huius fabricæ, quam designauerat. quare non
dicit scriptura, quod perfecerit Deus quid-
quid facere poterat, sed quod *compleuerit o-*
pus, quid fecerat, & quidem in omni perfe-
ctione; & tunc requieuerit, non in creaturis,
quibus ad suam requiem & beatitudinem
non indigebat; sed quieuit cessando ab ope-
re, sicut diximus, & in se ipso gaudente,
quod expleuisset id, quod ab æterno facere
statuisset, nunc verò in lætitia esset executus.
Ad eius imitationem quæram ego meâ quie-
tem, non in creaturis, sed in ipso Creatore,
sicut enim Deus quiescere non potest nisi in
se ipso, sic nec ego potero veram requiem in-
uenire, nisi in ipso. Et quamuis gaudendum
sic mihi de operibus, quæ Deus facit (sicut ip-
semet (teste Dauid) *b letatur in operibus suis*) *b Ps. 103. 31.*
iuxta illud: *c quia delectasti me Domine in fa-* *c Psal. 91. 5.*
bratua, & in operibus manuum tuarum exul-
tabo: Id tamen ita mihi est faciendum, vt nõ
sistam in rebus ipsis creatis, sed in earum
Creatore. O gloria & requies mea, gaudeo,
quod tantam in te ipso habeas requiem, vt ne-
que aliquid facias cum labore; nec in tuis o-
peribus aliquid tibi de tua requie decedat: Id
mihi concede, vt eam mihi reputem requiẽ,
si strenue laborem in tuum obsequium. nam
sine te omnis requies est inanis & peritura; in
te autem solo plena est & sempiterna.

DEINDE perpendam, quod Deus Dominus
noster *c benedixerit diei septimo, & eũ sancti-* *c Gen. 2. 3.*
ficaue-

ficauerit. Et quoniam benedictio Dei est effica-
 x; quod illi benedixerit, significat, se eo-
 dem, quamuis à rebus nouis creandis ces-
 saret, incipere nouo alio modo iam creatis
 benefacere, beneficio scilicet CONSER-
 VATIONIS & GVBERNATIONIS, &
 ipsas creaturas etiam incipere re ipsa execu-
 tionem mandare acceptam benedictionem, at-
 tendentes suæ multiplicationi; & hoc insinuat
 scriptura, cum ait, quia in ipso die cessauerat
 ab omni opere suo, quod creauit Deus, *ut
 faceret*; ut scilicet id quod creauerat, opera-
 retur, & multiplicaretur in mundo: quasi di-
 ceret, non illud creauit, ut otiosum permane-
 ret, sed ut vnaquæque res faceret, quod ad ip-
 sam spectaret, ut finem suum assequeretur: &
 hominem ipsum etiam creauit, *ut faceret*,
 ut scilicet operaretur, & contenderet conse-
 qui sanctitatem & quietem illam ac requiem,
 quæ habetur in solo Deo, ideoque ipsi homini
 præcipue benedictus est, ac sanctificatus dies
 septimus. O Deus æterne, qui creasti me in
 CHRISTO IESU Filio tuo, ut in bonis ope-
 ribus ambularem, & tenderem ad tuam æter-
 nam beatitudinem; effunde super me copio-
 sam tuam benedictionem, ut ex nunc statim
 benè operari incipiam, & proficere in iu-
 stitia & sanctitate, omnem meam re-
 quietem collocando in placendo
 tibi in æternum.

Amen.

PUNCTVM V.

TERTIO est considerandum mysterium, *Quo spiritu festa sint celebranda.*
 latens in eo, quod cessauerit Deus à suis *S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4.*
 operibus, & benedixerit, ac sanctifica-
 uerit diem septimum. Perperendum ergo, *a Exo. 20. 10.*
 quod Deus Dominus noster praeceperit po-
 pulo Israel, dicens: a *Memento vt diem Sab-*
bathi sanctifices, idque in memoriam & grati-
 tudinem huius beneficii, creationis mundi &
 rerum, quas hisce sex primis diebus fecit:
 & in figuram quietis, qua fruuntur iusti, tam
 in hac vita per gratiam, quam in futura per
 gloriam. quam obrem *Isaias illos appellat b Isa. 58. 13.*
Sabbatum delicatum, & sanctum Domini glo-
riosum. Huic Sabbatho successit in lege noua
 dies Dominicus, non solum in memoriam &
 gratitudinem beneficii creationis mundi, sed *S. Thom.*
 multò amplius ob memoriã & gratitudinem *supra ad 4.*
 Redemptionis eius & renouationis, quã attulit
 Christus in die suæ Resurrectionis; & in me-
 moriam quietis, quã sua gratia nobis attulit;
 & quã nobis promittit futuram in glorifica-
 tione animæ, & Resurrectione corporis. ex
 quo fit, vt multò pluribus nominibus tenea-
 mur diem Dominicũ sanctificare, quàm popu-
 lus Israeliticus teneretur, diem Sabbathi.

AD hanc obligationem perfectè implendã, *I.*
 reiecta omni ingratitude nota, quatuor sũt *S. Thom. 2.*
 præstanda. *2. q. 107. a. 1.*

PRIMUM est, *cessare ab operib' seruilibus*, sicut
 Deus

Deus cessauit ab opere suo, modo explicato: vt expediti ab huiusmodi operibus, Deo in quiete vacare possimus: ac porro etiam est cessandum à peccatis, quæ sunt opera magis seruilia, quàm hæc externa, quæ præstant ser-
c. Ioh. 8. 35 uici, nam vt ait Sanctus Ioannes: *cui facit peccatum, seruus est peccati*; quod peccatum maximè nos impedit quò minus Deo vacemus; estque supremus gradus qui potest esse ingrati-
 tudinis, benefactorem ipsum nostrum offendere eo tempore, quod ipse constituisset ad gratiarum actionem; & profanare nostra culpa diem, quem ipse sanctificasset tanta magnificèntia.

II.

SECUNDVM est, *vacare Deo cum exercitijs orationis & contemplationis*, perpendendo præstantiam beneficiorum, in quorum memoriam dies hic festus est institutus; eaque meritando per puncta superiùs distinctè posita, & hac ratione euitatur secundus gradus ingrati-
In Introd. huius sextæ part. tudinis, qui est obliuisci ipsius benefactoris, & beneficij ab eo accepti.

III.

TERTIVM est, *laudare etiã Deũ voce, cantãdo hymnos & psalmos in gratiarum actionem, ob accepta beneficia*; id quod fit in Ecclesia, vt eo conueniant fideles, & audientes musicam moueantur ad glorificandum Deum, *d. Col. 3. 16.* *dicantantes*, vt ait Apostolus, *in cordibus suis, & gratias agentes Deo & Patri misericordiarum per Christũ*, propter collata nobis beneficia. & sic euitatur tertius gradus ingrati-
 tudinis, qui consistit in eo, quod nec
 verbo

verbo quidem gratiæ aguntur, ob accepta beneficia.

IV.

QVARTVM, quod in die festo est præstandum, est offerre Deo sacrificia, ad exhibendum cultum ei debitum eo nomine, quod sic noster Creator & sanctificator; & in gratiarum actionem, ob tot in nos collata beneficia, & ad impetranda alia recentia, quibus magis adhuc illi placeamus. Ad hos tres fines offeratur sacrificium Missæ (vt suo loco est dictum) cui interesse debent Christiani omnes diebus omnibus Dominicis & Festis, & offerre illud simul cum ipsis Sacerdotibus, & per ipsorum manus, reddentes quoque *e sacrificium spiritus contribulati & cordis contriti & humiliati, & sacrificium iustitia*, exercentes varia opera pietatis & charitatis. neque enim ab operibus seruilibus abstinemus, vt de cætero otiosi simus; sed vt ea opera exerceamus, quæ tunc magis Creatori placeant, per quæ quies obtineretur & spiritus solatium.

4. p. Med. 15

e Ps. 50. 19. f. 4. 6.

DENIQVE, vt nos ad hoc totum Deus animaret, voluit benedicere & sanctificare diem septimum, reddens iis, qui prædicto modo eundem sanctificauerint præmium suæ benedictionis, replendo illos sanctitate: nam propterea dies appellatur sanctus & benedictus, quia eum elegit DEVS, in quo repletet nos benedictionibus cœlestibus; & quando id expediret, etiam temporalibus, multiplicans bona temporalia eorû,

qui

qui in eo die sanctificando occupantur. O Deus liberalissime, gratias tibi propterea quod tempus certum constitueris, in quo pro beneficiis acceptis te laudarem, & sic dignum me redderem, qui alia recentia acciperem. Libera me Domine ab ingratitude, quæ iustarum virtutum ventis, virtutes consumit, & tuarum misericordiarum fontem exsiccat. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi!* sit requies tua illum laudare toto tempore huius vitæ, ut tandem peruenias ad æternam requiem in futura. Amen.

August. in Soli. c. 18.

S. Bern. cõt. vitium Ingratitudinis.

g Ps. 114. 7.

MEDITATIO XXVIII.

DE BENEFICIO CONSERVATIONIS mundi, & quod res omnes à DEO dependeant in Esse, & in Operari.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDVM in primò, quòd omnes res, quas Dominus noster creavit in exordio mundi, & sex primis diebus, ut prædictum est, & reliquæ

I.
S. Thom. 1. p. q. 104. a. 1

omnes